Quelle: http://manuscripta.at/?ID=459
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

confirmatur. quoniam ex semetipsa iusta est. Neque enim ideo iuste voluit. quia futurum iustum fuit quod voluit. sed quod voluit idcirco iustum fuit. quia ipse voluit. Suum enim ac proprium voluntati eius est iustum esse quod est. Et ex eo quod in ea est iustum. iustum est quod ex ea est iustum. quoniam secundum eam est iustum. quod iustum est. quod utique iustum non esset. si secundum eam non esset. Cum ergo queritur quare iustum est quod iustum est. convenientissime respondetur. quoniam secundum voluntatem dei est que iusta est. Cum vero queritur quare et ipsa voluntas dei iusta est. hoc sanius respondetur. quoniam prime cause nulla est causa. cui ex se est esse quod est. Hec autem sola est unde ortum est quicquid est. et ipsa non est orta. sed eterna.

Hic non pretereundum nobis est quod sacre scripture de voluntate dei diversis quibusdam modis loqui consueverunt. et non est voluntas diversa. sed locutio diversa est de voluntate que non est diversa. Nam voluntas dei in sacro eloquio aliquando accipitur illa que vere est in ipso. et idem cum ipso. et coeterna ipsi. Aliquando vero secundum quandam dicendi figuram voluntas eius vocatur. que secundum proprietatem non est voluntas eius. sed signum voluntatis eius. et dicitur ipsum signum voluntatis voluntas. cum voluntas non sit. sed signum tantum. quemadmodum et signa ire ira dicuntur. et dilectionis signa dilectio appellantur. Et dicitur iratus deus. et non est ira aliqua. sed signa tantum. que foris fiunt. quibus iratus ostenditur. ira ipsius nominatur. Et est figura dicendi. secundum quam non est falsum quod dicitur verum similitudinis respectu obumbratum. Et secundum istos modos figurarum quasi diverse voluntates deo attribuuntur. quia diversa sunt illa que per figuram dicuntur voluntas eius. cum ea que secundum proprietatem dicitur una sit voluntas ipsius. Igitur que et primum et principaliter dicitur voluntas dei una est. que vere est voluntas eius. et hec una est. nec multiplicitatem recipit. nec mutabilitatem.

Deinceps secuntur due voluntates. et duo que dicuntur voluntates. et hec duo de deo dicuntur. et dei voluntates dicuntur. quia signa sunt voluntatis eius. Harum voluntatum una permittens vocatur. alia faciens. Hec est permissio et operatio. quia permissio eius dicitur voluntas eius. et operatio eius dicitur voluntas eius. quoniam secundum voluntatem eius fiunt. et signa sunt voluntatis eius. Et sunt duo ista quasi consequentia a voluntatis summe. et quasi explicatio eius. et effectus eius. et paria illi. non tamen coeterna. Quod enim in illa semper est. in istis aliquando est. et quicquid in his aliquando non est. in illa numquam est. Omne enim quod est in illa semper est. et omne quod est in istis aliquando est. quia nec aliquid est preter eius voluntatem. nec aliquid fieri preter eius operationem ipsius. sive permissionem. Et sequuntur duo unam. et una in ambobus invenitur. quoniam nec nolens operatur. nec permittit nisi volens. Et cum fit aliquid dicitur hoc voluntas dei. quia voluntate dei factum est. ut hoc fieret. vel permissum. Et voluntarie fecit quod fecit. et bene fecit. et bonum fuit quod fecit. et voluntarie permisit quod permisit. et bene permisit. et bonum fuit quod permisit. etiam si id bonum non fuit quod permisit.

Quod bona deus fecit. mala permisit. II.

Bona enim fecit. et bene fecit. et mala permisit et non fecit. et bene fecit. quoniam utrumque bonum fuit. Et idcirco utrumque voluit. quia utrumque bonum fuit. Et fuerunt bona bona. et mala mala. nec bona fuerunt mala. nec mala bona. sed bonum fuit esse et bona et mala. Et voluit utrumque esse deus. quia utrumque esse bonum fuit. et utrumque bonum non fuit. quia malum bonum non